



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispytatio VI. De Ente rationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIO SEXTA.

De Ente rationis.

DUPLEX potest esse *ens rationis*: aliud verum & reale, ut sunt omnes actus intellectus. Dicitur autem rationis, quia fit ab intellectu, qui solet appellari ratio; unde in hac significatione *ens rationis* idem erit ac *ens intellectuale*. Non est in presenti ieiuno de hoc ente rationis, sed de alio quod communiter dicitur *ens rationis*, id est nullum habens esse reale, sed tantum fictum ab intellectu: & de hoc inquirendum est. Primum, quid sit, & an detur. Secundum, per quas potentias fiat. Tertium, à quibus subiectis; Quartum, quo modo.

SECTIO I.

Quid sit *Ens rationis*.

OPINANTUR Thomistæ, *ens rationis* esse, quod nihil intrinsecum ponit in rebus. E quo inferunt, denominationes cogniti, generis & speciei, esse entia rationis: istud idem docent in uniuersum de omni denominatione extrinseca. Contra hos insurgunt acriter satisque prolixè recentiores nonnulli, & multa argumenta congerunt, quæ omnia ab illis facile explicantur, accipiendo *ens rationis* in diuersâ significatione, quam accipiat ab his recentioribus, qui tandem agnouerunt se de solo nomine disputasse, quasi egissent de re. Unde præmissâ excusatione dicunt, se velle Thomistæ ex ipsorummet definitione refutare. Hoc autem in presenti vix possum præstari, iam ostendo. Si enim Thomistæ per *ens rationis* præcisè intelligant (ut videntur intelligere) id quod licet in se sit reale, nihil tamen ponit intrinsecum in subiecto denominato, fateor, verissimè, eos docere, esse cognitum, genus, speciem, &c. esse entia rationis, neque eis hoc possumus negare, & frustra tunc arguitur, cognitio est realis, & aliquid reale est me cognoscere Petrum, ergo erit etiam quid reale Petrum cognosci à me; his enim & omnibus concedunt, esse quid reale, quia tamen est denominatio extrinseca, idè ab eis dici *ens rationis*; & idem ipsi dicunt in quocumque argumento à ratione. Melius ergo agatur contra illos à simili ex aliis denominationibus quæ sunt extrinsecæ, & non vocantur ab ipsis etiam entia rationis, ut esse dextrum vel sinistrum, priorem vel posteriorem, domum esse antiquam, &c. Quod si hæc omnia velint etiam dicere entia rationis, loquentur quidem consequenter, valde tamen malè, quia nullus hæc & similia dixit esse entia rationis. Si autem per *ens rationis* intelligant *ens fictum* (ut nos intelligimus) certum est, malè ab ipsis doceri, me esse cognitum à Ioanne v.g. esse *ens rationis*, seu *ens fictum*; neque est credibile, eos in hoc sensu locutos. Sed quidquid sit de eorum mente, res in se est certa, quia Ioannem esse à me cognitum, formalissimè est idem ac me cognoscere Ioannem, solumque differunt penes voces acti-

uam & passiuam; sicut est idem, Deum producere Angelum, & Angelum produci à Deo: sed me cognoscere Ioannem, est aliquid reale, sicut me esse album aut nigrum, cognitio scilicet & albedo mihi vnita, ergo & Ioannem cognosci à me, erit aliquid reale, licet non intrinsecum Ioanni. Fateor, si id iudicaretur ut quid intrinsecum Ioanni, tunc esset quid fictum, quia cognoscere- tur aliter ac est in se, hoc autem non fit eo quod dicam illum esse cognitum, ergo non est quid fictum, ergo neque *ens rationis* in hoc sensu. Confirmatur: eodem modo creatura denominatur cognita, amata, aut odio habita à Deo, sicut ab aliâ creaturâ, & tamen eiusmodi denominationes non sunt aliquid fictum, ut ipsi Thomistæ fateantur, cum Deus cognoscendo & amando creaturas nihil fingat, ergo denominatio cogniti à me in Ioanne non est aliquid fictum, neque *ens rationis*, si hoc sumitur pro ente ficto, quod, ut dixi, non negatur à Thomistis.

Fateor, ex vno capite Thomistæ à nobis solo nomine dissentire videntur, ut ex acceptione entis rationis supra posita constat; aliunde autem, cum eos videam nolle concedere, per cognitionem Dei & per actus brutorum fieri entia rationis, valde suspicor, ab eis per *ens rationis* aliquid aliud intelligi, quam denominationes extrinsecas, scilicet aliquid fictum: & quia Deus & bruta fingere non possunt, non concedunt, ab illis fieri entia rationis, alioquin non potest intelligi, cur distinguant inter cognitiones humanas & diuinas quæ ad hanc partem, nisi fortè loquantur de cognitione nostrâ reflexâ, quæ hoc quod est esse cognitum, apprehendimus in obiecto tamquam aliquid intrinsecum; quo sensu, ut dixi supra, tales denominationes sunt entia rationis. Sed de ipsorum mente sufficiat, hæc solum tene, si per *ens rationis* præcisè intelligatur extrinseca denominatio, verum in re est, esse cognitum, genus & species esse entia rationis; si verò per *ens rationis* intelligatur *ens fictum*, & in hoc sensu vocetur denominatio cogniti *ens rationis*, impugnanda est talis doctrina efficaciter ratione supra factâ. Et hæc præmitti sufficiat circa Thomistarum sententiam.

Hic posset fortè aliquid de re misceri, sed valde parum, an scilicet in istis denominationibus miscetur aliquid fictum, de quo fusissimè agunt aliqui. Ego dico duobus verbis. Primum, in talibus denominationibus non misceri necessariò quidquam fictum: nam independentè ab omni fictione Deus creat, & creatura creatur, nec ut ego concipiam Deum creantem, teneor ego fingere: Deum autem creare, est denominatio extrinseca à creatione. Idem est in aliis causis: hoc solum ego dico esse denominationem extrinsecam, hoc autem non includit *ens rationis*, ut lumine naturæ est notum. Quod si ibi aliquis velit quid fingere, & eas denominationes tamquam prædicata aliqua intrinseca concipere, ille procul dubio faciet *ens rationis*. Quod si non

Eccc 4

velis,

velis vocare tu eas denominationes, nisi quando habent aliquid de fictione, erit rursus quaestio tecum de nomine, in qua satis iam me explicui, nolo autem amplius in ea tempus terere. Ergo ens rationis à nobis solum accipitur in presenti pro eo, quod habet tantum esse obiectivum in intellectu, id est, quod tantum habet cognosci. Pro quo adverte, v. g. Petrum à me cognitum duo habere & esse à parte rei verè & realiter, & ultra hoc à me cognosci quod est illi extrinsecum: alia verò solum habere cognosci, non verò esse in se verè & realiter, & consequenter non est in illis aliquid reale terminans cognitionem, ut cum dico, Homo est irrationalis, à parte rei homo non est irrationalis, est tamen per intellectum; quia ego cognosco, & affirmo hominem irrationalem non secus ac si à parte rei esset talis homo; homo ergo irrationalis dicitur ens rationis fictum, id est tantum habens esse obiectivum in intellectu. Et antequam ulterius progrediamur, nota verbum illud obiectivum tantum: nam licet actus intellectus, cognitio scilicet, solum habeat esse in intellectu, non tamen est ens rationis, quia non habet esse obiectivum solum, sed esse subiectivum & formaliter à parte rei in intellectu, ergo iuxta praedicta verba solum possunt esse entia rationis obiecta actuum, non verò actus ipsi cognoscentes ipsa obiecta, nec denominationes desumptae ex ipsis actibus.

SECTIO II.

An detur Ens rationis.

NON desunt multi Auctores, qui omnino negent talia entia rationis, ut Vallesius, & alij; ex his verò, qui nobiscum ea concedunt, opinantur nonnulli, illa non posse efficaciter persuaderi, & probabilem satis esse Vallesij sententiam. Verum censeo, vel non posse esse dissidium vllum, explicatis terminis; vel si sit, apertissime rejici sententiam Vallesij.

SUBSECTIO PRIMA.

Datur Ens rationis.

§ QVOD sic ostendo: nam primum negari nequit, actus aliquos esse falsos, aliquos esse veros. Secundò negari nequit, actus falsos ideò esse falsos, quia obiectum illorum non est à parte rei, sicut per ipsos affirmatur: veros autè ideò esse veros, quia obiectum eorum ita est, ut per ipsos affirmatur. Haec duo de re certissima sunt, nec possunt ab aliquo negari: ex quibus infero, Ergo aliqui actus sunt, quorum obiecta non sunt à parte rei. Pono exemplum: *equus est rationalis*. obiectum huius actus est equus idemificatus cum rationali, seu equus rationalis, hic autè equus non est à parte rei (quis hoc negat?) est tamen per intellectum, id est cognoscitur ab intellectu, fingente talem equum, seu reputante esse ita à parte rei (quis etiam hoc negat?) ergo equus rationalis non habet esse à parte rei, sed solum esse obiectivum in intellectu (hoc de re arbitror à nemine negatum, nec posse) talem ergo equum fictum dicimus nos esse ens rationis, non ergo potest esse, explicatis terminis, vllum de re dissidium. Quòd si neges talem equum fictum esse ens rationis, erit dissidium de solà voce; si

verò neges etiam posse fingi, fateor erit dissidium de re, manifesta tamen experientia, ratione, ac consensu etiam rusticorum edargueris.

Tandem idem confirmo, quia sicut contra negantes se apprehendere res spirituales, arguimus, ipsos sibi contradicere; nisi enim res spirituales apprehendissent, non possent aliquid certi de illis affirmare vel negare, ita similiter in presenti dico, eos qui negant entia rationis, sibi ipsis contradicere. Cum enim esse entium rationis nihil aliud sit, quàm ea cognosci aut apprehendi, eo ipso quòd illa negant, illa apprehendunt; aliàs negarent, & non tamen scirent quid negarent, quod est ridiculum, ergo admittunt entia rationis, id est, ea apprehendunt.

Respondebis, Primò, intellectum nostrum veram & realem rationalitatem, quam in aliis rebus cognoscit, connectere intentionaliter cum equo, quia per eum actum aliquid fictum concipiat, ergo non est necessarium tale ens rationis, quod correspondeat ex parte obiecti actui fingenti. Ob hanc solutionem arbitrantur nonnulli, oppositam sententiam esse probabilem, sed facile & efficaciter eam rejicio: nam quando intellectus dicit, *equus est rationalis*, non praedicat de equo eamdem numero rationalitatem Petri hanc enim certò cognoscit intellectus non esse in equo: ideòque si rogetur, quam rationalitatem praedicet, respondebit, non illam numero, sed aliam quae non sit in Paulo, Ioanne, & aliis individuis, illis tamen similem, quam supra numerum earum quae sunt possibiles, ipse intellectus fingit, seu ponit: atqui alia rationalitas, distincta ab omnibus rationalitatibus individuum humanorum, & supernumeraria, illique similis, non est rationalitas vera & realis, sed Chimærica & ficta, ergo non praedicat intellectus, seu non correspondet illi ex parte obiecti rationalitas, quae sit vera & realis, sed Chimærica; hæc autem est ens rationis.

Fateor, id non contingere in omnibus fictionibus: nam quando de animali eminens viso praedico esse Petrum, quia eum reputavi esse Petrum, quem mihi noveram, non correspondet ex parte praedicati aliquid fictum, sed ipse Petrus realis, quem agnosco, & tunc fictio erit in vno ne iuxta dicenda statim: ceterum quoties fallor, non quia vnum reputo esse aliud ex individuis reallibus, sed quando fingo aliud individuum novum possibile distinctum ab eis quae verè sunt possibilia, necessarìò etiam ex parte praedicati concipio aliquid quod non est nisi in intellectu. Demus v. g. veram esse Thomistarum sententiam, aientem, sub specie Gabrielis solum esse possibile vnicum individuum: quando ego oppositum sentiens dico, ultra hoc individuum est possibile aliud simile, tunc ex parte praedicati concipio individuum Gabrielis, expressè enim dico, *aliud à Gabriele*, ergo tunc ex parte praedicati correspondet aliud distinctum simile, hoc autem aliud est quid fictum & repugnans, ergo saltem in eo casu responderet ex parte obiecti & ex parte praedicati aliquid fictum, ergo tunc sit ens rationis, non praeisè (ut tu contendebas) quia extrema realia intentionaliter inter se intellectus connectat, sed quia verè concipit extrema ficta. Et hæc est demonstratio omnino destruens solutionem aduersariorum; nam licet actus intellectus

Etus possit fortiri rationem vnionis inter extrema realia, non tamen rationem extremam; ergo extremum cognitum est aliquid fictum. Ex quâ impugnatione infero, non solum ens rationis fieri per copulam, sed per prædicata & subiecta, quod clarè probatum est hucusque, & malè negatum ab aliquibus, admittentibus egratiam rationis.

Secundo præcipuè reijcio eandem solutionem, quia licet extrema sint realia, vnio tamen affirmata non est realis, sed ficta, ergo facit vnionem rationis. Quod vnio affirmata sit ficta, patet, quia licet extrema dentur à parte rei seorsim, non tamen identificata inter se, ergo talis identitas est ficta, ergo est ens rationis.

13 Dices: Etiam affirmat vnionem realem, quæ datur in aliis rebus. Sed contra Primò, quia non affirmat eandem numero vnionem, quæ est in aliis, sed aliam distinctam (vt supra in simili dixi de extremis) alia autem vnio distincta est prorsus Chimærica, ergo. Probo Maiorem, tum quia vnio seu identitas est diuersa pro diuersitate extremorum, vnde cum affirmet vnionem diuersorum extremorum, necessarium est affirmet etiam diuersam vnionem: tum quia expressè intellectus excludit eam vnionem, & affirmat aliam distinctam. Contra Secundò, quia licet vnio affirmata sit realis, eam tamen affirmat non vt cumque, sed esse hic & nunc, seu inter hæc extrema inter quæ non reperitur ea vnio, ergo saltem facit ens rationis in existentia vnionis hic.

Tandem reijcio eam solutionem, quia dupliciter potest intelligi: scilicet intentionaliter vnire aliqua duo, vel quasi formaliter, non quidem cognoscendo aut affirmando eam vnionem illorum, sed quia ipse actus est ita confusus, vt non distinguat inter illa duo: & hoc modo diximus in Logica fieri vniuersale. Per hunc modum vnendi intentionaliter, fateor, nullum fieri ens rationis, neque fingi aliquid, ideoque talem actum esse verum, quantumuis prædicto modo vniant res incapaces vnionis. Quod si hunc modum vnendi præcisè volunt ponere aduersarij in actu fingente, omnino falluntur, aliàs omnis actus fingens esset verus, nec vllus posset esse falsus, quod ipsi non admittunt. Aliter ergo vnit ille actus ea prædicata (& hic sit secundus modus vnendi intentionaliter) apprehendendo & affirmando ex parte obiecti expressè vnionem illorum, quod est quasi intentionaliter obiecti vnire, quod patet ex ipso actu aiente expressè, ea extrema vniri inter se; & constat ex differentiâ inter actum confusum non distinguentem Petrum ab equo, in conceptu scilicet animalis, & inter actum, quo diceret

15 quis, *Petrus est equus*, ille enim prior non apprehendit vnionem, nec illam affirmat, sed ob suam obscuritatem non distinguit inter Petrum & equum, ideoque non est falsus, sed parum obscurus. Hic verò secundus expressè attingit & affirmat vnionem, ideoque est falsus, quia non datur talis vnio, ergo ex parte obiecti per istum actum, cognoscit quis vnionem, eam fingendo, talem vnionem vocamus nos ens rationis.

Ex proximè dictis intelliges, cur quando concipimus Angelum per similitudinē iuuenis, &c. non faciamus ens rationis, nam non affirmamus nec apprehendimus ex parte obiecti, Angelum esse iuuenem, ideoque non concipitur obiectiue esse

iuuenis, sed solum quasi formaliter, id est præcedente cognitione iuuenis, ex quâ quasi manu ducimur ad cognoscendum Angelum esse quasi iuuenem subiacis proprietatibus materialibus iuuenis: vt sic autem certum est, non cognosci equum esse rationalem per actum fingentem sed obiectiue, quæ propter per eum fit ens rationis modo dicto, licet non per cognitionem Angeli.

SUBSECTIO SECVNDA.

Obiectiones solute.

Dices Secundò: In omni obiecto prius est 16 esse quàm cognosci, & prius esse possibile quàm posse cognosci, seu quàm esse cognoscibile, quod non potest intelligi in ente rationis: cum enim nullum aliud habeat esse actuale, quàm cognosci, & possibile, quàm posse cognosci, non potest intelligi ante actum intellectus, ergo nec poterit esse obiectum illius. Nego Antecedens vniuersaliter loquendo, vt patet in actu reflexiuo supra seipsum, in quo non est prius esse quàm cognosci, cum vtrumque sit idem realiter, nec posse esse prius quàm posse cognosci: ob eandem rationem idem ego dico in ente rationis, & hinc fiet satis obiectioni desumptæ ex eo, quod obiectum debet esse causa sui actus, ens autem rationis cum nihil sit simpliciter, non potest esse causa eius actus quo cognoscitur, ergo nec obiectum. Respondeo, eodem modo quo præcedenti, negando, omne obiectum debere esse causam actus cognoscitiui ipsius, quod ostendi Disput. vi. de Anima, Sect. 3. & præcipuè verum est in obiectis quæ per discursum cognoscuntur ex alijs, qualia sunt entia rationis, eam enim cognitionem causant species aliorum obiectorum, vel acquirunt per discursum, vel immutata ex aliquâ qualitate contrariâ, vt in obiecto visus.

Tertiò dices: Si actui, quo dico, *equus est rationalis*, ex parte obiecti corresponderet vnio ficta, esset actus verus, quia affirmaret quoddam verè daretur, inter equum enim & rationale datur vnio ficta, ergo illi actui non correspondet ex parte obiecti vnio ficta, sed realis; quæ quia non datur, ideo actus est falsus; ergo non potest correspondere actui falso aliquid fictum ex parte obiecti. Hoc argumentum nonnullis facillit magnū negotium, sed immerito: primò enim inuoluit implicantiā in terminis, dicunt enim, ex vnâ parte, non dari talem vnionem fictam, aliunde autem addunt, quod si ea affirmetur per illum actum, actus esset verus, quia datur talis vnio ficta, ergo iam admittit vnionem fictam, alioquin licet eam affirmaret actus, non esset verus, quia non daretur quod affirmat. Deinde, licet actus affirmaret dari vnionem fictam, adhuc non esset verus, quia illa vnio ficta datur formaliter per ipsum actum, qui non est supra se reflexiuus; ante actum autem non datur talis vnio ficta, ergo esset falsus. Tertiò ostendo apertè ex hoc argumento ipsa entia rationis, quæ impugnat: tu enim dicis, quia ego affirmo vnionem realem, quæ non datur, ideo actum esse falsum, futurum verum, si affirmaret vnionem fictam quæ datur, ergo quando è contrario dico, inter Petrum & rationale v.g. datur vnio Chimærica, tunc ex parte obiecti non attingo vnionem realem. Cum enim hæc detur à parte rei inter Petrum & rationale, 18

nale, actus esset verus, si eam attingeret iuxta tuum argumentum, ergo saltem tunc attingitur, & affirmatur vnio ficta: quæ quia non datur, actus est falsus; ergo saltem in his propositionibus probabo ex tuo argumento euidenter, dari entia rationis. Vide ergo, quàm rectè ea impugnes hoc argumentum, cui absolute respondeo, vnionem quam affirmo, in se non esse realem, & consequenter non habere aliud esse quàm cognosci, imò implicat, me attingere vnionem realem, & non esse talem vnionem realem; eo enim quod non sit vnio realis, non poterit vnio realis recipere denominationem tacta per intellectum, attingo ergo vnionem non realem in se, nego tamen, inde sequi, actum esse verum; nam ad actum verum requiritur vt detur obiectum eo modo quo affirmatur, & quia, licet vnio tacta & affirmata in se sit ficta, intellectus tamen eam fingit realem, & dicit realiter dari, ideo fallitur: sicut e contrario, licet vnio correspondens ex parte obiecti sit vera, quia tamen eam intellectus fingit Chimericam, ideo fallitur, & facit ens rationis. nam id, quod attingit per actum, fingit esse aliud quàm sit in se, de ficta affirmando esse veram, & de verà esse fictam.

Quod si roges, quid sit, vnionem fictam fingere veram, & veram fingere fictam; Respondeo, nihil aliud esse, quàm dicere falsam esse veram, & veram dicere esse falsam. Quid autem sit hoc dicere, respondeo esse ipsam essentiam actus intellectus, cognitam experientia actuum falsorum, quæ non potest vterius explicari; sicut non potest vterius explicari, quid sit cognoscere albedinem, quàm id reducere in talem essentiam actus cognitæ experientia seipso manifestantis potentia albedinem.

Alteram obiectionem desumptam ex actu, quo dico *Petrus currit*, Petro non currente, soluam Sect. 3. agens, vtrum per talem actum fiat ens rationis. 20 Nunc hanc difficultatem his solum considero, ens rationis tunc fieri, quando vnio, vel prædicatum, quod affirmatur, non habet in se realitatem, sed tantum arbitror à nemine posse negari, vt dixi supra, & ipsi aduersarij fatentur, quando dicunt, me attingere vnionem realem, quæ non est à parte rei; tunc enim est verum dicere de illà vnione tacta, non habere esse à parte rei, sed solum per intellectum: ideoque semper credidi, differentiam esse de solà voce, sed qualiscumque illa sit, ex hac Sectione sufficienter dirimitur.

Hic posset disputari, an ad ens rationis faciendum sit necessaria fictio, & an per actum verum fiat ens rationis: sed de hac dicam Sect. 4. dum ostendero, à Deo posse fieri ens rationis.

SECTIO III.

Per quas potentias fiat Ens rationis.

21 NON disputo, vtrum fiat à Deo (de hoc enim Sectione sequenti) sed in homine per quas potentias, & in quibus actibus fiat, & obiter, an etiam fiat ab Angelo. Ac pono, per intellectum posse fieri eiusmodi ens rationis, per actus scilicet, quibus res possibiles vt impossibiles iudicant, aut e contrario. In hac conueniunt omnes, & ratio est clara, quia obiectum illorum actuum non habet aliud esse, quàm cognosci, ergo erit ens rationis.

SYBSECTIO PRIMA.

Per omnem actum factum fit Ens rationis.

QUÆRIMVS ergo Primò, vtrum per actus falsos, quibus de aliquà re possibili affirmatur existeret, cum tamen non existeret, aut e contrario, vt v.g. quando dico, *Petrus currit*, eo non currente, fiat ens rationis. Negant aliqui, quia ens rationis est illud, quod nullum aliud esse habet quàm cognosci; cursus autem Petri, licet non habeat esse existentia, habet tamen possibilitatem, ideoque non est ens rationis. Hac est questio de solà voce, scilicet de acceptione *entis rationis*: si enim per *ens rationis* intelligitur res ficta non vtumque, sed ita vt nullum habeat esse reale actu aut potentia extra intellectum, euident est, talem cursum non esse ens rationis; placet tamen magis in modo loquendi contraria sententia, quam eam defendit Huradus. Et probatur, quia etiam ens rationis est illud, quod prout cognoscitur, non habet aliud esse quàm per intellectum; atqui licet cursus Petri habeat possibilitatem, hac tamen non est que de illo cognoscitur, sed existentia absoluta exercita, hanc autem non habet nisi beneficio intellectus, ergo erit ens rationis, non quidem existentia possibilis, sed existentia exercita, quia vt talis solum habet esse per intellectum. Confirmatur: *equus est rationalis* est ens rationis, non quia equus non habeat vllum aliud esse à parte rei, sed quia illud quod tribuit actus intellectus, non habet à parte rei; ergo similiter licet cursus Petri habeat possibilitatem, quia tamen non habet existentiam qua de illo affirmatur, erit ens rationis.

Sed dices: Iuxta dicta in Logica idem actus cognitionis, quantum est ex se, fuit indifferens vt esset verus vel falsus, & qui est falsus, potuit esse verus, & e contrario; ergo idem actus cognitionis fuit indifferens vt haberet pro obiecto vel ens rationis vel reale, & qui de facto habuit pro obiecto ens rationis, potuit habere ens reale, quod videtur omnino repugnare; actus enim dicit essentialem ordinem ad obiectum: vnde non videtur, posse idem actus esse indifferens ad obiectum reale vel rationis.

22 Posset responderi, duplex esse ens rationis, aliud Chimericum seu impossibile, quod frequentius sibi usurpat nomen entis rationis; aliud verò possibile, non tamen actu existens. Exempli primi sit *equus rationalis*, secundi verò *cursus Petri* affirmatus existens, non tamen verè existens. Quo posito, dici etiam posset actum intellectus non esse indifferens, vt respiciat obiectum possibile, ita vt potuerit respicere impossibile, & consequenter vt idem actus possit terminari vel ad ens rationis Chimericum, vel ad ens reale, cuius ratio à priori desumi potest ex respectu essentiali, quæ dicit ad illud obiectum, qui non potest manere nisi obiectum sit possibile; eundem tamen actum esse indifferens, vt respiciat ens reale vel rationis in secundâ acceptione: etenim hoc nihil est aliud, quàm absolutam existentiam affirmatâ per illum actum esse in se indifferens vt sit vel non sit, quod est extrinseca denominatio respectu actus: quando enim ea existentia est, iam obiectum, quod affirmatur per actum, habet aliud esse quàm in intellectu, & consequenter non est ens rationis; quando

quando verò non est talis existentia à parte rei, solum habet cognosci, & consequenter est ens rationis; bene ergo potest obiectum actus esse indifferens ut sit ens reale vel rationis, & consequenter ipse actus poterit esse indifferens, ut habeat pro obiecto ens reale vel rationis in hac secundâ acceptione.

Hanc tamen solutionem alibi efficaciter reieci, ostendens, quantum est ex vi actus ipsius affirmantis, potuisse illum actum, qui dicitur, *quod est hinnibilis*, manere in rerum naturâ, etiam si equus non esset hinnibilis; quia respectus cognitionis ad obiectum nihil aliud est, quam exprimere obiectum; hoc autem potest bene habere, etiam si sit impossibile obiectum. Vnde objectioni concedo libenter, ex se actum esse indifferens ad habendum pro obiecto ens rationis vel reale. Dico, *ex se*: nam quia repugnat ex ipso obiecto ut iam sit possibile, iam non, ideo non potest idem actus esse indifferens ad habendum pro obiecto ens reale, vel rationis Chimericum, licet sit indifferens ut habeat pro obiecto ens reale vel rationis in eâ secundâ explicatione datâ paulò antè.

SVBSECTIO SECUNDA.

Quale Ens rationis fiat per sensum internum.

25 Ex his colligo, etiam per actus sensus interni, imò & externi, posse fieri ens rationis: nam hi actus possunt falli, licet non in eo rigore quo actus iudicii, ut dixi in Logica. Probatur in actu, quo v.g. apprehendo in iride colores; illius enim actus obiectum seu colores non habent esse à parte rei, sed tantum in eâ cognitione, quod à nemine negari potest; ergo illius actus obiectum est ens rationis iuxta definitionem entis rationis suprâ positam. Idem etiam dicendum est, à fortiori, de apprehensione complexâ intellectus, ut cum apprehendo equum rationalem, hominem hinnibilem, &c. in quibus apprehensionibus reperiri errorem suo modo, dixi in Logica. Hanc sententiam docuit P. Suarez Disput. 54. Metaph. sect. 2. n. 17. Ei aduersatur Hurtadus, eo quod sensus externi & interni, neque affirmant aliquid, neque negant; neque apprehendunt vnionem duorum, sed tantum apprehendunt accidentia sensibilia, quorum apprehensione sæpè terrentur, mulcentur sæpè.

26 Sed hæc ratio est prorsus nulla, & illud de terrore, &c. hic non est ad rem, ego autem ostendo manifestè apprehendi ab eis vnionem: nam brutum, v.g. ouis, non solum apprehendit lupum ut sic (alias non sciret quò deberet fugere ut illum vitaret) sed illum apprehendit in tali loco, ideo fugit ad contrarium, ergo apprehendit vnionem talis loci cum lupo, non enim solum apprehendit lupum & locum dextrum v.g. hoc enim contingit etiam respectu sinistri, sed apprehendit lupum ibi; hoc autem est falsum, ergo facit ens rationis in primâ acceptione.

Veritas hæc mihi tam videtur certa, ut non possim nec de illâ dubitare: eam fusiùs ostendi Disput. iv. de Animâ numero 63, probans, sensus externos percipere vbi. Et quis dubitabit, si per impossibile posset brutum se declarare, & interrogaretur ouis, Quid vides? & vbi diceret, Ibi video lupum; vel canis, Ibi video meum dominum?

aliàs cur non querit illum in contrariâ parte? Sed de hoc satis, quia res est clarissima.

Difficilius hoc, an per sensum internum fiat ens rationis Chimericum. Affirmat P. Suarez, cui libenter acquiesco, nam facultas imaginatrix habet vim componendi species obiectorum impossibilem: quod sic ego ostendo ex proximè dictis. Nam phantasia apprehendit vnionem, eam connectendo cum obiecto, ut ostendi; & canis recordatur non solum ictus accepti, sed à quo, id est, ab hoc homine se læsum. Hoc posito, dupliciter argumentor. Primò, demus aliquod obiectum, quod non posset nec diuinitus esse in hoc loco, sed essentialiter alteri assignatum, certè posset phantasia illud obiectum sibi imaginari, etiam si illa existentia talis obiecti in hoc loco esset impossibilis; sicut sæpè imaginatur canis in somnis obiectum aliquod sibi contrarium, contra quod dormiens latrat, de quo dubitari non potest.

Dices: Repugnat tale corpus affixum vni spatio. Respondeo Primò, id esse falsum, quia in hoc non sunt vllò modo duo contradictoria. Secundo, ego illum casum tantum pono, ad explicandum per locum intrinsecum vim phantasiae, & quòd ex se potest apprehendere impossibilia. Tertio id melius ostendo: fallatur canis, reputans vmbra hominis esse hominem illum à quo fustibus acceptus fuit, certè in illo casu habet canis hanc apprehensionem complexam. Ab illo fui læsus, atque ibi coniungitur percussio vel ictus ut proveniens ab illâ vmbra; hoc autem repugnat, vmbra enim, cum sit nihil, non potest dare ictus, ergo coniunxit canis ibi duo impossibilia, & consequenter fecit entia rationis etiam rigorosa.

Secundo-principaliter id ostendo: quando à longè videns vnum animal putat esse aliud, aut videns columnam vel statuam, putat esse hominem, proculdubio habet hanc apprehensionem. Illud est homogeneum est meus herus: atqui tunc apprehendit vnionem impossibilem columnæ cum hero suo, ergo apprehendit ens rationis in omni rigore. Posset responderi ex doctrinâ aliquorum, ibi solum esse varias species obiectorum concurrentes, de vnione autem nihil cogitari. Sed hæc solutio nulla prorsus est: si enim dicatur tantum, simul esse eas diuersas species, aperte est falsum; nam quando videt columnam & herum distinctè, habet vtriusque species, & illæ concurrunt ibi etiam tunc, & tamen non blanditur statuae aut columnæ tamquam suo hero, ergo aliquid aliud est præter concursum specierum.

Quòd si dicat, ex illo concursu turbari phantasia, & resultare vniam apprehensionem quâ illa duo reputat quasi vnum; fateor id libenter, hoc tamen est formalissimè apprehendere vnionem impossibilem, seu identitatem columnæ cum homine, siue id oriatur ex similitudine accidentium, siue vndecumque, quod pro me idem est, ergo phantasia facit ens rationis etiam Chimericum.

SVBSECTIO TERTIA.

Quid de sensu externo, & simplici apprehensione.

ADDE, etiam sensus externos illud posse facere, non quidem reputando, vnum obiectum esse aliud, quia sensus non habet memoriam

riam obiecti percepti, nec cognoscit obiectorum inter se vnionem, sed solam praesentiam localem, quam quidem connectit cum obiecto viso, aut audit, aut tacto. Hinc verò probo ego à visu v. g. posse id fieri iuxta dicta in primo argumento, si vnum colorem, qui esset alligatus vni loco, per species alias alibi eum intueretur, vt fit in speculo, eodem enim modo fieret ea visio, etiam si mea facies nec diuinitus posset esse post speculum, ac iam fit. Idem est in echone, &c.

Aduerte, malè à nonnullis doceri, quando per vitrum triangulare aspicimus campos, ibi à sensibus coniungi species rerum impossibilem, eò quòd folia appareant diuersi coloris, &c. malè inquam haec dici impossibilem, nam diuinitus possent folia esse sine coloribus, & omnes illi colores possent esse contigui; neque maior aliqua vnio apparet, vnde ibi quidem fit ens rationis in primà acceptione, quia verè tunc sensus decipitur, sicut à simili probatum est, non tamen fit ens Chimaricum, quia nihil repugnans apprehen-

31 Tandem hinc posset inquiri, an etiam fiat ens rationis per apprehensiones incomplexas. Negat Hurtadus in vniuersum, licet postea concedat, fieri ens rationis per apprehensionem incomplexam vnionum. Nos tamen, cum supra ostendimus, etiam ex parte praedicati posse, & sapissimè actu correspondere aliquid fictum, non secus ac ex parte vnionis, si semel conceditur, per apprehensionem incomplexam vnionis fieri ens rationis, quia talis vnio nullum aliud esse habet quàm cognosci, etiam necessariò dicendum est, fieri per apprehensionem incomplexam praedicati impossibilem. Ideò placet magis aliorum sententia, qui vniuersaliter id concedunt: & fundatur id in D. Thomà Opusculo 42. cap. 1. vbi ait, tunc effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere id quod non est; sed per apprehensionem incomplexam praedicati aut subiecti potest apprehendi quod non est, vt per se patet; ergo & potest fieri ens rationis. Et ratio ex dictis est certa, quia illud praedicatum non habet esse à parte rei, sed solum in intellectu; erit ergo ens rationis, quod non est aliud, quàm ens non habens esse à parte rei, sed solum per cognitionem.

32 Quia verò nonnulli in hac quaestione, quae multum habet de nomine, aliqua confundunt, libet haec amplius explicare. Definiunt ergo hi apprehensionem incomplexam eam, in qua non concipiuntur duo per modum vnus, & per hanc negant fieri posse ens rationis: postea verò cum vrgentur, Haec apprehensio, *vnio inter brutum & hominem*, est incomplexa, & tamen facit ens rationis, ergo, &c. respondent, eam non esse incomplexam, nam apprehendit duo, licet vnum in obliquo, & aliud in recto. At hi in hac solutione deserunt suam definitionem: nam ibi non apprehenduntur ea duo per modum vnus; sicut quando dico, *liber Petri*, non connectuntur Verbo est liber & Petrus, nec apprehenduntur vt praedicatum & subiectum, sed in ordine ad propositionem est simplex terminus vel praedicatum vel subiectum, est ergo incomplexa illa apprehensio.

Sed, ne faciamus quaestionem de nomine, Primò dico, in hac apprehensione, quomodocumque vocetur, posse fieri ens rationis: vnde infero,

per conceptum vnus terminum, quod vel praedicatum vel subiectum sit, posse fieri ens rationis, quod ab his negatur.

Secundò addo veniendū ad quaestionem de re, etiam per alias apprehensiones, in omnium sententiā incomplexas, posse fieri ens rationis. Id ostendo manifestè: nam haec, quā dico, *Petrus*, est incomplexa in omnium sententiā, etiam tuā (vel assigna mihi quam velis, *Deus, Deus, Petrus, &c.*) atqui per similes fit ens rationis, ergo, &c. Probo Minorem: nam quando ego dico, *Chimera*, etiam si nihil de illā affirmem, facio ens rationis, hoc est certum: at illa est apprehensio incomplexa, sicut quando dico *Petrus*.

Dices: Quando concipio *Chimaram*, concipio plura in ea, scilicet ea quae sunt partes *Chimerae*. Sed contrā, quia etiam eodem modo, quando dico *Petrus*, concipio partes quibus ipse *Petrus* constat, ergo vel *Petrus* non est apprehensio incomplexa, vel id habet *Chimera*.

Respondetis, in *Chimera* partes illas esse incomplexas. Sed contrā, quia in ordine ad hoc vt apprehensio sit complexa, parum est, quòd illa plura sint compositibilia, vel incomplexibilia, semper enim sunt plura.

Dices Secundò, illa plura in *Chimera* esse totalia, in *Petro* verò partialia. Sed contrā, quia esse partialia vel totalia, per accidens etiam se habet ad complexiōnem apprehensionis: nam si dico, *Petrus est animal rationale*, est apprehensio complexa, & *animal & rationale* sunt plura partialia: item quando dico, *animus corpus*, est complexa, & verumque est partialē. Secundò impugno eam solutionem, quia etiam ea quae concipio in *Chimera* sunt partialia, nam ea concipio vt partes *Chimerae*: & licet ego ex duabus naturis in se totalibus fingam *Chimaram*, tamen hinc & nunc non concipio eas duas naturas vt totales, sed potius vt idem realiter inter se, & consequenter quamlibet vt partialē. Quò addo, magis vt vnum concipio *Chimaram*, quàm *Petrum*; hic enim concipitur ex partibus solum vnitis non identificatis inter se, at in *Chimera* concipiuntur ea duae naturae vt realiter inter se identificate; ergo minor ibi concipitur multitudo. Vel si in hoc habueris difficultatem, concipe *Chimaram* non ex naturis integris aliis, sed coniunge vnā materiam cum formā substantiali, eam quā tamen nec diuinitus possit constituere vnum totum.

Tandem haec sententia clariùs reicitur: si enim quis putaret (vt Ethnici putarunt) esse multos deos, seu esse possibilem alium deum distinctum à Deo vero, ponamus illum vocari *Petrum*, sicut illi vocarent Iouem, Martem, &c. certè tunc quando ego dicerem *Petrus*, ex parte obiecti conciperem rem indiuisibilem & incomplexam, & tamen facerem ens rationis, ergo apprehensio incomplexa potest facere ens rationis.

Dices: Etiam in illo Deo conciperem praedicata superiora & inferiora, ergo non esset incomplexa. Sed contrā, quia hoc idem est quando de facto dico, *Deus* vel *Deitas*, ibi enim ea praedicata concipio, & tamen est incomplexa apprehensio. Imò quando dico *ens*, etiam ibi concipio, quod potest existere: nec fortè potest dari apprehensio incomplexa, quae non possit explicari per duos terminos; ergo vel neganda est omnis apprehensio

apprehensio incomplexa, siue vera siue falsa, quod non facies: vel dicendum est, per illam posse fieri ens rationis, neque video in hoc quæ possit esse disparitas.

- 35 Dices Primò: Tunc illud prædicatum apprehendi secundum se, vt sic autem habere esse possibile, non quidem possibile existere, sed fingi. Sed contrà, quia hoc non est habere esse à parte rei, neque est cognosci illud esse quod habet, præsertim cum ea apprehensio non cognoscat illud prædicatum, vt potens fingi; ergo illud prædicatum cognitum non habet aliud esse, quam quod illi tribuit talis actus, ergo est ens rationis, sicut vnio apprehensa inter equum & rationale.

Dices Secundò: Illa apprehensio non est falsa, vt dixi in Logica, de omni incomplexa, ergo nec faciet ens rationis, quia ad hoc requiritur actus falsus. Respondeo, minus requiri ad ens rationis, quam ad actum falsum, ad hunc enim requiritur, in subiecto apprehendi aliquid quod illi non conueniat, quod non præstat per apprehensio- nem incomplexam: ad ens autem rationis sufficit, vt obiectum, quod cognoscitur, non habeat esse à parte rei, nisi solum in intellectu; & cum hoc possit habere subiectum apprehensionis incomplexæ, vt ostensum est, potest illa apprehensio facere ens rationis, licet non sit falsa. Et hoc suffi- ciat pro quæstione de voce.

- 36 Ex dictis de homine constat, quid dicendum sit de Angelis, scilicet ab eis etiam fingi entia rationis (loquor de eis secundum se & naturaliter consideratis) quoties habent aliquos actus falsos, quos possunt habere, præsertim circa ea quæ per discursum & coniecturas cognoscunt: et enim illis non repugnat peccatum secundum se, non video cur repugnet & error; cum hic sit minus indecens quam peccatum, sed de hoc fufius Theologi, & ex dicendis de Deo clarius statim constabit quid de illis sentiendum sit.

An autem fiat ens rationis per actum appetitus & voluntatis, qui fertur circa bonum apparens, est quæstio de voce: de re enim tam certum est, obiectum illud amatum à voluntate nihil habere aliud à parte rei, nisi esse amatum, quam obiectum intellectus nihil habere in se, nisi esse cognitum. Vtrum autem dicendum sit, ab utroque actu fieri ens rationis, quæstio est de voce, in qua negat

- 37 communis sententia. Ratio solet esse, quia voluntas non dat illud esse obiecto, sed potius fertur in illud iam datum ab intellectu, & consequenter solum dicitur ens rationis respectu intellectus, non verò respectu voluntatis. A priori verò idem suadetur ex diuerso modo tendendi intellectus & voluntatis: intellectus enim affirmat & negat aliquid de obiecto, quod est quasi tribuere aut tollere aliquid ab obiecto, ideoque format aut destruit entia: vnde quando affirmat quod non est, facit nouum ens, non reale, ergo rationis. Voluntas autem nihil tribuit vel tollit ab obiecto, sed accedit vel recedit ab illo, quod non est illud efformare, & consequenter nec facere ens rationis, sed accedere vel recedere ab illo.

Hæ rationes non dant sufficientem disparitatem: nam licet ens rationis non fiat primò à voluntate, vt probat primum argumentum, sit tamen quasi secundò, sicut iudicium facit suo modo ens rationis, licet etiam supponatur factum ab apprehensione. Secundò, non solum per iudi-

cium aut apprehensionem complexam, sed & per incomplexam fit ens rationis, in quibus non coniunguntur aut disiunguntur duo, eò quod obiectum illud non habeat aliud esse nisi cognitum; ergo pari ratione possit dici fieri à voluntate. Quòd autem fiat accedendo, vel recedendo, non est ad rem; semper enim est verum, illud obiectum non habere esse in se, sed in voluntate.

Dico ergo, his probari, de re esse idem in vtraque potentia, quoad modum tamen loquendi sufficit, quod dicitur ens rationis; nomen enim ipsum indicat ens cognitionis, hoc autem non habet vt terminat actum voluntatis potius enim deberet dici ens appetitus. sed in quæstione de nomine, & parui momenti, re intellecta loquere vt libuerit.

SECTIO IV.

Vtrum Ens rationis fiat à Deo.

A Deo non fieri ens rationis per fictionem, aut per actum falsum, omnino certum est apud Catholicos, imò & quolibet alios rectè de Deo sentientes. Dubium ergo Primò est, an à Deo saltem secundariò eiusmodi entia rationis cognoscantur; Secundò, an in seipsis possint etiam ab ipso cognosci.

Circa primum P. Vasquez, relatus ab Hurtado §. 21. opinatur, Deum nec in nostris actibus prius cognitis noscere entia rationis. Hæc sententia merito ab omnibus reicitur vt falsa, quod sic ostenditur: Deus comprehendens actum humanum, quo dico v.g. *equus est rationalis, possibilis est Chimæra*, cognoscit obiectum eius actus, quia nò potest comprehendere actus nisi cognoscatur eius obiectum, ergo in meo actu de Chimæra comprehendens cognoscit Deus Chimæram seu ens rationis.

Dices: Deus solum cognoscit extrema realia, ad quæ sola meus actus dicit ordinem. Sed contrà Primò, quia aliquando extrema etiam sunt ficta, vt supra probatum est, atqui tunc non potest comprehendere ille actus, nisi ea extrema cognoscantur, ergo tunc cognoscitur ens rationis. Contrà Secundò, Deus cognoscit illum actum esse falsum (hoc negabit nullus) ad hoc autem non sufficit præcisè cognoscere extrema realia illius actus, nisi etiam cognoscat, per illum actum affirmari vnionem eorum extremorum; ergo cognoscit vnionem Chimæricam saltem vt affirmatam à me. Probo Minorem, quæ sola eger probatione: illa eadem extrema possunt per actum verum cognosci, vt si diceret quis, *equus non est rationalis*; ergo vt cognoscat, actum illum esse falsum, non sufficit vt cognoscat ab eo attingi extrema impossibilia, sed ulterius debet cognoscere, affirmatam fuisse vnionem illorum. Confirmatur: ille actus tam essentialiter est cognitio vnionis, quam extremorum subiecti aut prædicati, ergo in eo cognito, & vt falso, debet Deus necessariò cognoscere, affirmatam fuisse ab eo vnionem impossibilem (imò hoc est formalissimè cognoscere, eum esse falsum) ergo Deus in actu cognito cognoscit vnionem impossibilem, Chimæricam, seu rationis, ergo cognoscit ens rationis. A priori idem suadetur: quia licet falli, & fingere ens rationis, sit imperfectio, cognoscere

ffff tamen

tem, nisi per actum confusum, qui Deo repugnat. Hæc ratio non est ad rem: quando enim Deus dicitur, *repugnat equum rationalem*, licet concipiat equum rationalem, non tamen concipit eum existere, sed potius id negat; hoc autem recte fieri potest per actum clarissimum. imò tu ipse concedis Deo hunc actum, *repugnat vno inter partes hominis & leonis*, &c. quo actu, licet dicat, eam vniorem repugnare, absolute tamen cognoscit Deus unionem inter partes hominis & leonis, quam, nisi cognosceret, non posset negare: atqui ea vno est impossibilis, ergo iam tu ipse concedis Deo cognitionem unionis impossibilis, seu Chimærica, nō quidē ut eam affirmer, aut ut eam apprehendat quasi existentem, sed potius ut eam neget.

41 Qui obiicit Primò: Nam quomodocumque Deus cognoscat entia rationis, sequitur ea fingere, sed Deus non potest fingere aliquid, ergo nec cognoscere entia rationis. Probatur Maior, quia fingere est mente retinere id quod non est, ergo eo ipso quod Deus cognoscat entia rationis, ea fingit, quia ea retinet mente. Respondeo facile, negando Maiorem, ad cuius probationem distinguo etiam secundam Maiorem: fingere est retinere mente id, quod non est, si affirmetur de illo esse, concedo Maiorem; fingere est retinere mente id quod non est, si negetur esse, nego Maiorem: nam de eo quod non est, negare esse, tantum abest à figmento, ut potius sit actus verissimus. Deus ergo, licet mente concipiat id quod non est, siue entia rationis, non tamen de eo affirmat esse, sed potius negat; unde non fingit sed destruit figmentum hominis. Pro quo aduerte, dupliciter posse duo prædicata mente concipi, vel ita ut inuicem negentur, vel ita ut affirmentur inuicem: & similiter prædicatum impossibile dupliciter posse mente retineri, vel ita ut affirmetur esse, & hoc est fingere, neque id concedimus Deo; vel ita ut negetur esse possibile, & hoc quis diceret esse fingere? cum potius sit euerio figmenti. hoc ergo secundo modo retinet Deus ens rationis, è quo non sequitur, eum vllō modo fingere.

42 Secundò obiicit: Ergo Deus ab æterno cognouit ens rationis, sed tunc non erat intellectus humanus fingens, ergo Deus tunc in se cognouit ens rationis, & consequenter illud finxit. Nego vtramque consequentiam, quæ non habet maiorem difficultatem, quàm si præsens fuisset actu ab æterno humana fictio. Sicut enim tunc in fictione præsentis prius cognita cognosceret ens rationis, ita nunc illud cognouit ab æterno in eadem fictione humana futura hodie, aut etiam solum possibile: quod non habet maiorem difficultatem, quàm posse Deum ab æterno cognoscere meum actum hodie existentem, aut possibilem; è quo euidenter infertur, & ab æterno posse in illo cognoscere obiectum talis actus, quod obiectum non in se, sed in actu prius cognito cognoscitur. Quod si obiectum talis actus fuerit Chimæra, hæc cognoscitur ab æterno à Deo non in se, sed in actu meo: imò addo, licet nulla esset futura creatura, in ipsis fictionibus possibilibus prius cognitis sine vllā fictione, cognosceri à Deo posse entia rationis non ut actu ficta vel fingenda, sed ut possibilia vel fictitia.

43 Difficilius est, vtrum independentem à nostro intellectu possit Deus cognoscere entia rationis, non quidem ea fingendo, sed potius destruendo, ut v.g. *equus rationalis non est possibilis, homo irrationalis repugnat*; per hos enim actus videtur cognoscere ex parte obiecti ens rationis, non tamen id affirmando, sed potius negando: & cum aliunde hæc cognitio sit independens à nostris actibus, videtur inferri, posse à Deo in se entia rationis cognosci.

Dicunt aliqui, impugnatis aliorum rationibus, non posse concipi Chimæram in se & ut existentem,

tem, nisi per actum confusum, qui Deo repugnat. Hæc ratio non est ad rem: quando enim Deus dicitur, *repugnat equum rationalem*, licet concipiat equum rationalem, non tamen concipit eum existere, sed potius id negat; hoc autem recte fieri potest per actum clarissimum. imò tu ipse concedis Deo hunc actum, *repugnat vno inter partes hominis & leonis*, &c. quo actu, licet dicat, eam vniorem repugnare, absolute tamen cognoscit Deus unionem inter partes hominis & leonis, quam, nisi cognosceret, non posset negare: atqui ea vno est impossibilis, ergo iam tu ipse concedis Deo cognitionem unionis impossibilis, seu Chimærica, nō quidē ut eam affirmer, aut ut eam apprehendat quasi existentem, sed potius ut eam neget.

Propter hoc censeo dicendum, modo prædicto posse Deum cognoscere Chimæram independentem à nostris actibus, & primariò. Quod si rectè explicetur, ut explicatum fere iam est, non videtur posse ab aliquo negari: neque enim possunt negari Deo præfate cognitiones, & alia similes, ut v.g. nequeunt simul esse duo contradictoria, nequit esse alius Deus præter me ipse enim in Scripturâ id dicit, *Non est alius Deus præter me*. quibus actibus & concipiuntur duo contradictoria, & alius Deus, quæ sunt impossibilia & Chimærica: huiusmodi autem cognitiones habet Deus omnino independentem à nostris actibus, ut per se patet, ergo & cognitionem entis Chimærici, ut illud dicat repugnare, potest habere independentem à nostris actibus.

Hic autem potest esse questio: An eo casu fiat à Deo ens rationis. Ex vna parte videtur non fieri, sed potius destrui, quia, ut diximus, cognitio entis, quæ illud negat, & repugnare affirmat, non efficit sed destruit ens rationis; huiusmodi autem sunt cognitiones præcedentes quas Deo tribuimus. Aliunde autem videtur à Deo omnino fieri, quia fieri ens rationis, est dare illi esse per cognitionem: sed dum Deus cognoscit illam, Chimæram facit, ut illa tantum habeat esse obiectiuè in intellectu diuino, ergo facit ens rationis. Confirmo, alius Deus ab hoc distinctus non habet in se vllum esse, antequam Deus dicat, *non est possibilis alius Deus*, nec habebat esse in intellectu: quando verò affirmatur à Deo, *non est possibilis*, iam habet esse in intellectu diuino, ergo iam est factum ens rationis.

Hæc est questio de solâ voce, de significatione scilicet verbi *facere ens rationis*; si enim *facere* dicatur idem quod *fingere*, certum est, à Deo non fieri, quia Deus non fingit: at si *facere* nihil aliud sonet quàm dare illi esse cognitum, certum est à Deo fieri. Et hoc euidenter probat secunda sententia, quam absolute puto esse veram: nam dare esse obiectiuè, nihil est aliud, quàm dare illi cognosci; atqui Deus etiam per actum, quo dicit non esse possibile ens rationis, formalissimè illud cognoscit (repugnat enim, negari quod non cognoscitur) ergo per illum actum habet illud ens esse obiectum actus intellectus, seu existere obiectiuè in intellectu; cumque in se nullam supponatur habens esse, eo ipso per illum actum habebit esse ens rationis.

Dices: Habere esse obiectiuè in intellectu, dicit non solum cognosci, sed apprehendi existentem, vel affirmari, quod Deus non facit. Sed contra, iam in hoc facis nouam de nomine questionem, & in

& in ea loqueris contra definitionem *entis rationis*: in ea enim non dicitur *ens rationis* esse, quod non habet aliud esse quā affirmari aut apprehendi existens, sed quod non habet aliud esse, quā esse obiectivum; at Chimæra negata existere non habet aliud esse nisi esse obiectivum in intellectu (ostendi enim, etiam quæ negantur, esse obiectivum in intellectu) ergo etiam tunc Chimæra fit *ens rationis*: ut quando Deus dicit, *si homo esset hinnibilis, esset brutum*, certum est, *homo brutum* non habere aliud esse quā cognosci, ergo tunc fit *ens rationis*, quia saltem conditionaliter iudicatur ea unio, quæ de factis nihil est.

Dices Secundò: Quando Deus dicit, *Chimæra repugnat*, vel *alius Deus a me repugnat*, dicit quod est a parte rei, ergo non facit *ens rationis*. Respondet, ibi esse duo, & repugnantiam Chimæra, seu alius Dei: hoc autem fateor dari, & ex hac parte Deus non facit *ens rationis*, & hoc probat obiectio. Secundum quod ibi est, cognosci etiam vel apprehendi alium Deum & Chimæram; alius autem Deus vel Chimæra non habet aliud esse quā cognosci, ergo tunc fit *ens rationis*; vel ille alius Deus est *ens rationis*: quod videtur ita manifestum, ut negari non possit. Hic potest esse difficultas de modo quo Deus hæc entia rationis cognoscat an dicat, *Chimæra est impossibilis*, an verò præcisè, *Chimæra non est possibilis*. Sed quia hæc questio est communis etiam negationibus, an scilicet Deus dicat, *Petrus est cæcus*, an verò, *Petrus non potest videre*, hic ea omitto: de illa egi 1. Parte Disp. v. de Scientiâ Dei, à num. 31. ubi probavi, Deum etiam per assensum has negationes cognoscere, illum quæ posse dicere, *privatio est carentia forme in subiecto capaci*. Item posse directè definire peccatum omissionis.

SECTIO V.

Quotuplex sit Ens rationis.

DIVIDITUR communiter *ens rationis* in *negationem*, *privationem*, & *relationem*. Sed in hac divisione non includitur Chimæra, nec curfus non existens affirmatus existens, quæ sunt en-

tia rationis; & tamen non sunt privatio, relatio, aut negatio. Melius ergo Primò potest dividi in *ens rationis impossibile*, seu *Chimericum*, ut v. g. equus rationalis, homo hinnibilis, alius Deus ab hoc, &c. & in *ens rationis possibile*, ut curfus Petri non existens, affirmatus tamen existens. Rursus, *ens Chimericum* potest dividi in tot entia impossibilia ficta, quot sunt vera, v. g. in hominem Chimericum, leonem, &c. & eodem modo *ens rationis possibile* in tot, quot sunt existentia, & in uniuersum quot dantur genera, & Prædicamentâ entis realis, tot possunt & rationis illi opposita excogitari, imò fortè plura, quia possunt alia fingi quæ non sint ad similitudinem existentium.

Aduerte, negationem & privationem esse entia rationis, quando per modum forme iudicantur, aliàs verò sunt ante intellectum, id est ante intellectum nō datur visus in subiecto incapaci, quod dicitur *negatio*, & non datur in subiecto capaci, quod dicitur *privatio*, de quo fusiùs in Physicâ.

Circa modum quo fit *ens rationis*, Primò dicendum est, si fiat per fictionem, orti id ex imperfectione & limitatione potentia, quæ potest falli, iudicando illud esse, cum verè non sit: si autem fit per actus veros, ut fit à Deo, prouenit ex virtute intellectus, qui suis actibus potest ad ea quæ non sunt ferri, tamquam ad ea quæ sunt. Causa quasi efficiens illius, est actus ipse intellectus cognoscens: sicut enim causa efficiens realis per realem actionem producit verum & reale esse, ita intellectus per actionem intentionalem seu representando producit aliud esse, quod idè dicitur *ens rationis*: illud autem eo modo quo est, distinguitur ab ipso actu, qui est quid possibile & reale, licet eius obiectum sit impossibile.

Rogabis: Quid ergo est illud distinctum esse obiecti? Respondet, nihil reale, sed præcisè est homo fictus, equus fictus, &c. quod non potest amplius declarari, nec est querenda aliqua entitas in eo quod est purum nihil; & fortè aliquibus fit difficile *ens rationis*, quia existimant, se in eo aliquid reale reperturos.

Et hæc sufficiant de Ente rationis, ac de toto Philosophico cursu, quæ ad Dei laudem, beatissimæque MATRIS honorem cedant.

